*Illustri ac Generoso Domino,*

D. ALEXANDRO WEDDERBURNO, Domino DE BLACKNES, &c. Equiti Aurato, & inclytæ apud Scotos Civitatis TAODUNANÆ, Secretario dignissimo,

Mecænati plurimis colendo nominibus.

NEC NON

*Eximio & Spectatissimo Viro,*

D. JACOBO KADANO, Domino DE CRAIGIE, &c. Fratri & Fautori meritissimo.

*Disputationem hanc Inauguralem*

D. D. C. Q.

THOMAS GLEGIVS.

# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, *DE* ARTHRITIDE.

## THESIS I.



Rthritis, ſi vocis etymon, quemvis παρὰ τὰ ἄρθρα, ſi uſum ſpectes, peculiarem indigitat affectum, quique à Barbaris Gutta appellatur: An autem, ratio mali generica, an potius, determinata ejus ſpecies, hoc nomine deſignanda ſit, Lis eſt de nomine; quam fugimus: nobis in priori ſenſu uſurpaſſe liceat; quamquam & poſterior placuerit aliis.

## II.

Pars affecta eſt articulus; nunc unus, modo plures, non quivis tamen, imo nullus, ſecundum omnes ſui partes. Sed qualis affectus, morbuſne an ſymptoma? neutrum nonnullis, at perperam: aut tumor eſt aut dolor: ille ſæpe quidem, non ſemper tamen, & omni adeſt; ſenſibilis ſaltem & ſenſibiliter lædens; hic inſeparabilis & urgentior: Eſto igitur Arthritis, rudi Minervâ, dolor circa articulos.

## III.

Dolor omnis, ex vel cum ſolutione continui, fit: quæ autem ſit hujus, in hoc affectu, cauſa, non convenit. Vix tantam à flatu pertinaciam, à ſiccitate energeiam exſpectem: Quæ flatuoſa vulgo dicitur, ne vel Arthritis eſt; nec quævis movendi impotentia cum dolore, hoc titulo, cenſenda venit, *Galeno* 3. *Aphor.* 16.

## IV.

Sit igitur humor, iſque excrementitius. Sanguis, vitæ hoſpes, non hoſtis, pabulum, non patibulum, à multis, at injuriâ, reus agitur. Circa partes affectas & afflictas, tumor cum rubore, phlegmone, non raro ſubſequitur; ſubſequitur tamen, nec ubique; quorum illo,

causæ in universum, hoc verò, adæquatæ ratio, sanguini adimitur. Ut-ut ejus affluxu augeatur dolor, augetur solummodo, non incipit, nisi quoad gradus. Consule Therapeian, quæ si manca sit, Naturam; neutra in Arthritide suppurationem promovet; quam alias in materiâ sanguinea tentare solet hæc, debet illa, ubi affectus contumacior.

V.

Pituitam resonant, cathedræ; praxes; culpabat olim antiquitas; sed insontem; nec eadem est, œdematum quæ in Arthride subapparent, & ipsius, materia; nisi ex conjunctione, separabilium etiam, arguatur identitas. Quæ hic cernitur mobilitas, meabilitas per angustissima, aliud, à crasso; quæ sentitur vis ignea, aliud, à frigido humore, subjectum postulat. Quid? quod ætate puerili, nulla huic succo crudo obnoxia magis, nulla tamen ab hoc malo magis immunis sit. 6. *Aphor.* 30.

VI.

Cujus ergo cacochymiæ soboles? melancholicæ ne vel suspicio est; biliosam non suppeditat senectus: Anne igitur serosi humoris? Rectè, modò rectè intelligas, nec nudam subintelligas aquam: Sero insunt quidem partes aqueæ, sed & insunt, miscentur saltem, aliæ: plerunque salsæ & mordaces, spirituumque mineralium æmulæ: quibus potissimum debetur hic affectus, solidissimè ipsius phænomenis satisfieri potest. Quamquam enim primarum qualitatum ametriæ, nullam, Paracelsi sit, omnem tamen vim ascribere, ne vel Hippocratis est. Exosculor oraculum illud verè Apollineum in Lib. de Prisca Medic. ὐ γὰρ τὸ θερμόν ἐστι, &c.

VII.

Terra, licet mater, sæpe agit novercam, & cum succo alibili toxicum miscet incautis; plurimas enim in sinu claudit quisquilias, nec unius generis, passim minerales; quas cum alimento ingestas, ab utili secernit, secretas eliminat, quæ in nobis est, modò vigeat, vis Spagyrica: secus, si hæ, aut ipsæ mistæ penitius, aut languidam nactæ facultatem, in corpore cumulentur, diras, oblatâ ansâ, in ipso tragœdias excitant, & inter alias, Trago-podagram, lugubrem satis & importunam.

Causa-

VIII.

Caufarum remotarum ad humoris hujus cumulationem, faciunt quædam, ad cumulati impetum, aliæ. Illæ potiffimum funt; mala vifcerum coctioni dicatorum diathefis, ex lege nafcendi, aut exlege vitæ; evacuationum, quæ à natura, fuppreffio, quæ ab arte fieri folent, omiffio; præfertim ingeftorum fucco hoc falfugineo fcatentium ufus; in quibus, ut vinum, venenum illud fed amabile, tenet primas, ita nec infons, quæ maxime videtur, aqua, faltem alicubi. Mumiæ contagiofæ meminit Flandet Toparcha, fed errat novaturiēns, dum in arte monarchiam affectat; de Epidemicâ quidem hactenus, contagiosâ verò arthritide, nullibi, extra ipfum, legitur.

IX.

Humori impetum præbent; ipfius, aliorum, copia gravans, qualitas ftimulans, naturam & validam; animi motus quidam, corporis nimii; aëris intemperies præcipue anomala; & quæcunque in contentis orgafmum excitant. Sed cur ad articulos: an ob peculiarem humoris proprietatem? Affirmat Sennertus, Author in occultis nimius: an potius ex ipfo articulorum fato? quod eft debilitas, vel nativa, ex fitu & caloris defectu; vel afcititia, à caufis extrinfecis, ut laboribus, frequenti mali infultu, Venere imprimis; cujus ufu, ut univerfum corporis, ita articulorum præcipue tonum collabi, ferio, licet fero, experiuntur cultores. Felices, hoc nomine, Eunuchi, fed infelici remedio.

X.

Hactenus de movente & mobili; de fpatio & términis exftant, reftant controverfiæ. Regia per venas (arterias) via, difplicuit Fernelio, placuiffe debuit; nec occultis opus erat meatibus, ut falfæ fatisfieret hypothefi: Non in extimo, quippe, capitis, fed intimó corporis, congeritur hæc materia; hincque per apertum vaforum alveum, non illinc, per cæcos fub cute ductus, depluit; Secus, (quæfo) cur non hydrocephalum femper, quî colicam unquam fequitur arthritis? Febris, paffio (ut loquuntur) venofi generis, hanc terminat nonnunquam, fæpius ab ipfa terminatur; at quo modo, nifi per vafa, id fiat, dicat Oedipus. Dilemma Fernelii, neutro nos, utroque ferit ipfum cornu; & feparatorem, quem follicitus exigit, ipfe exhibuiffe tenetur, alias exhibuit. De termino ad quem lis etiam movetur, fed compofitu facilis.

## XI.

Ex dictis manifestum est, quod Arthritis sit, *dolor, ab humore acri & seroso ex arteriis in articulos effuso, partesque circa ipsos sentientes distendente, aut vellicante, ortum habens.*

## XII.

Vulgata est Arthritidis divisio, in biliosam, sanguineam, pituitosam, & melancholicam; quæ nulla tamen est, nisi addito salis momento; & non tam Arthriticæ materiæ, quam cum ipsa conjunctæ, habeatur ratio; rectè enim Fernelius unicam hic agnovit causam, malè frigidam statuit. Receptiores sunt, ab articulis, petitæ differentiæ; quarum tribus tantùm usus imposuit nomina, chiragræ, podagræ, & ischiadi; quicunque alium, aut plures simul articulos, occupat dolor, retento generis nomine, Arthritis dicitur.

## XIII.

Non multâ opus est mentis conjecturâ, cum malum sensui apertè pateat; ægri saltem, sat superque, magis quam vellet: dolor quippe articulos vexat, nec levis imò tantus, ut nonnullis vitæ odium fecerit; adest motus impotentia, depravatio nonnunquam; tumor frequenter cum calore & rubore; sæpissime febris, & quæ hanc comitari solent, symptomata. Cætera luculenter prosequitur Lucianus in sua trago-podagra apud Sennertum.

## XIV.

Sed frustra in affectum inquiritur, qui cognitus spernit medelam; in quo censu, sensu fere omnium, vel audito nomine, refertur Arthritis: hactenus quidem extitit curatu difficilis; non incurabilis tamen est omnis, ne vel omnis tophacea; modò quod suum est, præstet Medicus, æger quod suum; quorum culpâ sæpius, quam mali naturâ, protrahitur. Suadeat igitur patientiam Socrates, dum cum Hippocrate curam aggredior.

XV. Quæ,

## XV.

Quæ, vel Therapeutica eſt, & præſentem removet, vel Prophylactica, & futuros prohibet inſultus. In priori, unam, ipſe præter naturam affectus, aliam ſuppeditat indicationem, cauſa. Ille leniri debet Paregoricis, aut ſi gravior ſit, obſcurari narcoticis. Huic proſpicitur. 1. Venæſectione, in Petro, non in Paulo inſtituendâ, quos curat Medicus, non hominem. 2. Purgatione per alvum, ſtatim per initia, & efficaci, habita tamen virium ratione, ſimul & experientiæ. 3. Sudorum prolectione, & quidem diaphoreticis, ſi febris, adſit, mitioribus. 4. Topicis, quorum quæ repellentia ſunt, ſuſpecta ſint, ſi ſola ſint, ſi repulſioni jungatur adſtrictio; tutior reſolventium uſus, tempeſtivus nimirum, & evacuato corpore; additis, ſi à topho metus, emollientibus.

## XVI.

Prophylaxis, materiæ collectionem inhibet; collectam opportunè evacuat; primum præſtat, debitum viſceribus tonum reſtituendo; & exactam Diætæ rationem inſtituendo; quæ hic tanti eſt, ut ſine ipsâ, fruſtra ægrum & ſe torqueat medicus; ex ipſa verò, ſine medico, plurimos evaſiſſe compertum ſit. Hæc longa apud Practicos ſerie, per ſex rerum non naturalium uſum, deducitur, qui videantur. Inprimis à vino, & (quod in proverbio eſt) à fabis abſtinendum: Audi Virgilium, *nec Veneris, nec tu vini*, &c.

## XVII.

Sed quotuſquiſque eſt, qui ſubactam adeo vivendi legem ſibi imperet, à ſe impetret? Altera igitur cura erit, ut quæ per incuriam congeſta fuerit, tempeſtive egeratur materia. In hunc ſcopum. 1. cruditas, quæcunque aderit, caſtiganda eſt vomitibus, deturbanda per ſeceſſum, ſæpiuſculè, at leviter. 2. ſolennis, unoquoque Vere, inſtituenda purgatio, exeunte repetenda Autumno; præmiſsâ utrique, ſi opus videatur phlebotomiâ. 3. reliquiæ humoris diſcutiendæ ſunt, per ſenſibilem hydroticis; per inſenſibilem tranſpirationem, Antipodagricis; nec enim, quæ hoc nomine proſtant, antidotis, occulta cum ratione affingitur, dum conſtat aperta, qualitas.

Tertia

## XVIII.

Tertia adjungi ſolet providentiæ pars; articulorum per aſtringentia roboratio; quæ minima quidem eſt, & fruſtra, cæteris omiſſis, tentatur, imo noxie; præſertim cum aliquid hic ſubeſſe videatur, quod Medici nec Juris, nec arbitrii ſit. Quá autem in ſpecie materiâ hic & alii ſcopi commode adimpleri poſſint, plena ac plana ſunt practicorum volumina. Nec (ut notat Riverius) uni fidendum eſt medicamento, ſed juvantium & lædentium ſumma ſemper habenda ratio; cum quod uni prodeſt, alteri ſæpe ſit inutile.

*F I N I S.*

